

occurrunt aliæ circumstantiæ explicatæ, ut satis ostensum est: magis autem declarabitur, aliqua exempla et quasi corollaria afferendo.

14. *Cum quis ob dubium vel scrupulum prioris dispensationis petat secundam, non est prioris mentio necessaria.* — Primum sit: quando aliquis, propter scrupulum vel dubium prioris dispensationis, petit aliam de eadem lege, impedimento, defectu, aut voto, et illam obtinet æqualem quoad gratiam, certiore vero quoad circumstantias. Existimo enim secundam esse validam, etiamsi non declaretur peti propter dubium prioris dispensationis, neque hujus fiat mentio, sed absolute proponatur gratia seu relaxatio vinculi quæ postulatur, et vera ac legitima causa dispensationis; ratio est, quia contra nullum jus positivum est, nec in se continet taciturnitatem, quæ verisimiliter reddat involuntariam posteriorem dispensationem, neque ingerit deceptionem, vel ignorantiam relinquit, quæ faciat ad causam. Et hoc modo posset intelligi, quod decisio Rotæ supra citata dicit, quando posterior dispensatio ad unum et eundem finem tendit cum prima, non esse necessarium facere istius mentionem; et reddit rationem, quia tunc una dispensatio sufficit utique obtenta cum sufficienti rei et causæ declaratione et cognitione: et ideo etiam non est inconueniens tunc utramque dispensationem manere validam, quia quando secundum privilegium petitur ad corroborationem primi, utrumque valet, ut dixit Innocent. in dicto cap. penult., n. 5, et sequitur Bald. ibi, n. 13, nam effectus utriusque simul sumpti non excedit intentionem concedentis.

15. *Dispensatio super irregularitate quando valet.* — Secundum exemplum esse potest de dispensatione secunda petita ad extensionem, seu ampliationem primæ sine præjudicio tertii, et explicando totum vinculum dissolvendum cum toto effectu desiderato: tunc enim nulla surreptio committitur, propter idem fundamentum. Ut, verbi gratia, si irregularis petat dispensationem ad ordines minores recipiendos, et ea obtenta, antequam illa utatur, petat aliam ad omnes ordines, eandem irregularitatem declarando, non vero primam dispensationem, nihilominus valida erit secunda, quia neque agit contra aliquod jus, neque aliquid occultat quod verisimiliter posset voluntatem Pontificis mutare aut impedire. Quod si ille jam esset usus priori dispensatione, et postea postularet secundam ad ordines tantum sacros, multo magis valeret, quia explicando

irregularitatem, necessario supponit jam esse dispensatum ad ordines minores. Similiter, si iste irregularis dispensatus ad omnes ordines postea petat dispensationem in interstitiis, verbi gratia, nulla facta mentione prioris, credo secundam esse validam, etiamsi non declaret defectum irregularitatis, quia ille jam est sublatus per dispensationem, et per se non refert ad interstitia, nec difficiliorem reddit illorum dispensationem, et idem est in similibus.

16. *Aliud exemplum de voto castitatis.* — Simile videtur esse in dispensatione voti, verbi gratia, castitatis, si post primam dispensationem datam cum aliquo onere et commutatione, petatur secunda ad majorem remissionem obtinendam, nulla facta mentione primæ, sed petendo puram dispensationem voti castitatis; videtur enim ex dictis sequi secundam dispensationem fore validam. Aliqui vero hoc non admittunt, nisi cum duplici distinctione. Solet enim ex stylo curiæ communiter concedi talis dispensatio cum quibusdam limitationibus ordinariis et solitis. Quando ergo prior dispensatio fuit tantum hujusmodi, dicunt posteriorem esse validam, non obstante taciturnitate prioris, quia cum illa limitatio soleat jure ordinario poni, et Pontifex in posteriori dispensatione illam prætermittat, signum est ex voluntate, et non ex aliqua ignorantia, eam ommittere, cum stylus curiæ ipsum non lateat. Si autem prior dispensatio cum majori moderatione data est, additur altera distinctio. Nam si posterior petatur, proposita nova et majori causa, dicunt esse validam, non obstante prædicta taciturnitate, quia major causa tollit omnem fraudem. At vero, si posterior obtineatur ex eadem causa, et tacita priori dispensatione, dicunt esse nullam propter fraudem Pontifici factam. Ego vero, in hoc præcise, quod prior taceatur, nullam fraudem invenio, quandoquidem totum votum auferendum proponitur, et Pontifex ignorare non potest peti puram dispensationem sine limitationibus solitis et insolitis, et ideo ex hoc capite non video surreptionem aut nullitatem. Aliunde tamen dubito de hac dispensatione, quia non videtur continere veritatem in proponendo vinculo quod per dispensationem auferendum est, quia per priorem dispensationem sublatus fuit votum: ergo jam falso petitur dispensatio in voto quod non subsistit, et quamvis fuerit commutatum in alia onera, jam illa obligatio non pertinet ad votum castitatis, sed ad aliud votum distinctum quoad materiam.

17. *In quibus casibus dispensatio voti commutati valida sit.* — Dico ergo in multis casibus etiam ex hoc titulo dispensationem illam esse validam. Primo, quando prima dispensatio simpliciter non abstulit votum, sed tantum ad determinatum usum, ut ad primum matrimonium, vel ad petendum debitum durante matrimonio: nam tunc vera est narratio cum votum maneat. Secundo, si prima dispensatio non fuit acceptata, licet data esset ad tollendum simpliciter votum cum commutatione, quia non habuit effectum propter non acceptationem, seu renuntiationem: et idem erit quoties per ignorantiam vel alia via impeditur effectus prioris dispensationis, et a fortiori si prior fuit invalida, quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, ut dicitur de Regul. jur., in 6, cap. 52. At vero, si prior dispensatio fuit acceptata et simpliciter abstulit votum, quamvis reliquerit obligationem ad jejunia vel alia pia opera, valde probabile videtur non posse peti secundam dispensationem de voto castitatis, ut nondum dispensato. Primo, propter rationem factam; nam, licet responderi possit peti dispensationem de voto emisso, et ita esse veram narrationem, nihilominus moraliter intelligitur peti de voto permanente. Secundo, quia alias non proponitur specificè vinculum auferendum, scilicet, obligationem ad talia opera pia, quæ, licet remote duxerit originem a voto castitatis, et fortasse sit minor, nihilominus est diversa, et ideo necesse est specificè cognosci ut per dispensationem auferatur. Tertio, quia in secunda dispensatione, necessarium erit proponere causam proportionatam obligationi, et materiæ substitutæ loco voti castitatis. Neque enim sufficere proponere majorem causam, quæ difficiliorem vel periculosiorem reddat obligationem castitatis, quia jam tunc hæc causa est impertinens: ergo signum est secundam dispensationem debere cadere specificè in aliam obligationem, quæ satis explicari non potest, nisi facta mentione prioris dispensationis, et ideo in illo casu probabilius ceuseo esse necessariam.

18. *Exemplum de jejuniis quadragesima.* — Ultimum exemplum esse potest, quoties due dispensationes versantur circa eandem legem, quasi secundum diversas partes, quarum una non unitur alteri, nec cedit in præjudicium tertii. Tunc enim valida erit posterior dispensatio sine mentione primæ, quia nullam habet speciem surreptionis juxta doctrinam datam. Exempla esse possunt, pri-

mo, in dispensationibus circa jejunia: nam si quis dispensationem obtinuit ad comedendum cibos prohibitos in una quadragesima, ut similem in alia valide obtineat, non oportet facere mentionem prioris, quia, licet versentur circa eandem legem, materiæ non uniuntur inter se, neque una aggravat aliam, et unaquæque potest habere suam propriam causam. Secundo, idem est in dispensationibus circa præceptum laborandi in die festo, vel non recitandi, et similibus. Imo etiam in exemplo supra posito, de dispensatione residendi pro aliquo tempore; nam, si diversis temporibus et non continuis occurrat necessitas similis dispensationis, non oportebit semper in posteriori facere mentionem prioris, quia hoc et præter hominum consuetudinem esse videtur, et est magnum gravamen, quod sine jure aut evidenti ratione imponendum non est. Ibi autem cessat ratio supra facta, quia ibi unum tempus non conjungitur alteri, neque fit quasi continuatio surreptitia ejusdem dispensationis, sed sunt omnino diversæ, quarum una non fit gravior, aut difficilius ratione alterius; ergo utraque est valida, licet in neutra fiat alterius mentio.

19. Denique idem est in lege, verbi gratia, prohibente matrimonium inter consanguineos; nam, licet quis obtineat unam dispensationem cum una cognata, et, illa mortua, secundam petat pro alia in eodem vel diverso gradu conjuncta, valida erit secunda, licet obtineatur sine mentione primæ, quia sunt de rebus distinctis, et una non habet connexionem cum alia, neque aggravat illam aut difficiliorem reddit, et unaquæque potest habere propriam causam sufficientem, non obstante alia, et independentem ab illa. Unde sequi videtur idem esse dicendum, etiamsi talis persona non fuerit usa priori dispensatione quacumque ex causa, et petat secundam non facta mentione prioris: nam eadem rationes procedunt ut hæc posterior sit valida. Et ita fatetur Sanc. dicta disput. 22, n. 13. Sed obstare videtur, quia sequitur talem personam habere simul duas dispensationes validas, per quas possit eligere et ducere quam maluerit ex illis duabus cognatis, quia prima dispensatio valida fuit, et non potest elidi vel irritari per secundam. Consequens autem videtur absurdum, quia est præter scientiam, et consequenter præter intentionem concedentis; ergo talis facultas et dispensatio non potest esse valida.

20. Responderi potest negando sequelam, quia qui petit secundam eo ipso renuntiat pri-

mæ, ideoque obtenta secunda evanescit prima. Et ita sensit idem auctor supra, num. 29. Sed non caret difficultate responsio; primo, quia etiamsi demus, ex parte petentis secundam dispensationem, renuntiari primæ, nihilominus Papa non potest illam renuntiationem acceptare, cum illius cognitionem non recipiat. At renuntiatio non acceptata non habet suum effectum; ergo ex hoc capite non evanescit prima dispensatio. Deinde aut agimus de renuntiatione præsumpta, aut vera: prior non sufficit ut in conscientia habeat effectum, ut constat; posterior autem non semper invenitur; potest enim quis petere secundam dispensationem, non intendens renuntiare primæ; ergo tunc non est cur excludatur per secundam; ergo ambæ simul manebunt: nam, licet non possint simul mandari executioni, satis est quod in usu earum possit esse optio, ut possint esse simul. Item, satis est quod successive possit utraque habere suum usum. Imo hinc fieri videtur, nec præsumptam renuntiationem ibi intervenire; sicut habens dispensationem ad contrahendum cum consanguinea, licet ducat extraneam, non censetur renuntiare dispensationi, quia potest post viduitatem illa uti; ergo similiter in præsentia.

21. Propter quod probabilius censeo in illo casu posteriorem dispensationem esse surreptitiam, et necessarium esse exprimere priorem dispensationem, ut vel Pontifex ejus renuntiationem acceptet, vel illam irritet, vel utramque simul validam esse concedat. Alioqui enim verissimum censeo, sine scientia et consensu Pontificis non posse illas duas dispensationes validas simul permanere, quia est indulgentia quædam nimis extraordinaria, et parum rationi consentanea, et longe verisimilius est non fuisse Pontificem eam concessurum, si proponeretur. Deinde clarum etiam censeo unam illarum dispensationum non expellere aliam quasi per repugnantiam formalem, quia illam revera non habent, ut probat ratio facta; imo posset Pontifex utramque simul concedere si vellet. Tertio, existimo primam non excludi per renuntiationem sine animo renuntiandi, quia est repugnantia; et tamen etiam tunc non erunt ambæ simul validæ; ergo oportet ut secunda sit nulla. Præterea, etiamsi adsit animus renuntiandi, censeo non habere effectum ex defectu acceptationis, nec enim dici potest Pontificem, concedendo secundam, acceptare renuntiationem primæ, quia ab illo non petitur secunda ut secunda, cum non habeat notitiam vel memoriam pri-

mæ; ergo talis petitio dispensationis absolutæ non est signum externum alicujus renuntiationis; ergo nec concessio Papæ potest habere vim acceptationis; ergo ut duæ illæ dispensationes simul non maneant, necessarium omnino est posteriorem esse invalidam, non enim invenitur modus quo excludatur prima, quæ semel valida fuit, et aliunde non fuit extincta. Ratio autem surreptionis est clara ex principiis a nobis positis, quia tunc secunda dispensatio conjungitur primæ, et ex utraque simul resultat una gratia exorbitans, quæ non cadit sub intentionem Pontificis, et ideo ad valorem secundæ necessarium est exprimere priorem, quo illud incommodum vitetur. Et ideo non est simile, quando prior dispensatio suum usum habuit per quem extincta est: nam tunc non conjunguntur dispensationes, sed quælibet est unica pro suo tempore. Esset autem simile si absque usu prior dispensatio fuisset extincta per mortem alterius partis, vel aliud impedimentum perpetuum: nam tunc ex defectu objecti evanesceret prima dispensatio, et ideo est impertinens ejus memoria; atque ita formaliter procedit doctrina data, quæ ad similes casus cum proportionem applicanda est.

## CAPUT XXIV.

AN DISPENSATIO IN UNO VINCULO, TACITIS ALIIS, OBTENTA, SURREPTITIA ET NULLA SIT.

1. Hæc quæstio tractatur optime circa impedimenta matrimonii a Patre Thoma Sanc. in dicto lib. 8, disput. 23; habet autem locum cum proportionem in aliis dispensationibus et legibus, et ideo breviter expedienda est. Duæ ergo sunt opiniones: prima simpliciter affirmat talem dispensationem esse validam quantum ad effectum ad quem impetratur, ut, si quis habens duas irregularitates ad ordines, petat dispensationem unius, verbi gratia, illegitimitatis, tacita bigamia, concessa dispensatione tolletur impedimentum illegitimitatis, manebit tamen aliud, ratione cujus non sufficiet illa dispensatio, nisi addatur alia de altera irregularitate, et simile exemplum facile potest poni in matrimonio. Ita tenet Navar., cons. 6 de Rescript., et cons. 7 et 8 de Consang. et affinit., et sæpe alias in suis consiliis, quem secuti sunt multi moderni, quos supra refert Sanc., num. 1. Ex antiquis vero solum refert Joan. Andr., in Arbore affinitatis, § 2, n. 5, in tom. 9 Tract., n. 5, dicentem, qui habet simul im-

pedimentum affinitatis et publicæ honestatis, si petat dispensationem primi, tacito secundo, illud tolli, isto manente. Fundamentum est, quia potest tolli unum impedimentum sine alio, sicut et potest esse; ergo ex hac parte non repugnat talem dispensationem esse validam et habere suum effectum. Nec ratione surreptionis, quia nulla est lex quæ præcipiat expressionem plurium defectuum, ut tollatur unum. Nec ex natura rei est necessarium, quia, ut princeps habeat justam et efficacem voluntatem tollendi aliquem defectum vel vinculum, satis est ut illud perfecte narretur cum causa sufficiente ad dispensationem: hoc autem totum sufficienter narrari potest, explicando unum impedimentum sine aliis. Et addit Navar. ita observari ex stylo curiæ.

2. Secunda sententia universaliter affirmat esse irritam et surreptitiam dispensationem unius impedimenti, quando occultantur alia quæ erant conjuncta cum illo. Hanc opinionem censet esse longe probabiliorē Sanc. supra, n. 2, citatis multis auctoribus loquentibus circa impedimenta matrimonii. Frequenter enim dicunt doctores non valere dispensationem in uno impedimento, tacito alio, ut patet ex Panormit., in cap. *Non debet*, de Consanguinit. et affinit., n. 12, quem multi Summistæ imitantur, et Supplement. Gabriel., in 4, distinct. 41, artic. 3, dub. 7, et in simili Covar., in 4, 2 part., cap. 6, § 4, n. 11. Possent autem hi auctores exponi, ut intelligant non valere, id est, non sufficere, seu non valere ad matrimonium contrahendum; an vero valeat ad unum impedimentum tollendum, non definire. Sed est difficilis et dura expositio, quia non dicunt non valere matrimonium, sed non valere dispensationem, et Covar. dicit esse irritam. Denique multi alii auctores in propriis terminis dicunt talem dispensationem esse surreptitiam. Fundamentum hujus sententiæ reducitur ad principium positum, ut dispensatio legitime obtineatur, necessarium esse proponi Pontifici totum vinculum dissolvendum, secundum totam gravitatem, quæ intrinsece potest dispensationem difficiliorem reddere: unum autem impedimentum censetur moraliter habere majorem gravitatem in illo genere, quando est conjunctum aliis, quam solitarie sumptum; ergo. Minor probari solet, primo, ex cap. *ex Tuarum*, de Auctoritat. et usu pallii, quod allegat Panormit.; sed, iudicio meo, nihil vel parum probat. Item citatur cap. *Pastoralis*, de Privileg., quod nihil etiam juvat, nec plus valet cap. *Postulatis*, de Rescript., quod

Covar. allegat: nam regula ibi constituta in beneficiis non habet locum in dispensationibus, ut supra notatum est cum Panormit. in cap. pen. de Præscriptionibus. Denique allegatur cap. 1 de Treng. et pace, quoniam ibi dicitur: *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Responderi autem potest, in præsentia etiam cumulum impedimentorum difficilius tolli, quia vel requirit unam dispensationem difficiliorem, vel cumulum dispensationum. Ratione igitur probatur illa minor, quia impedimenta simul juncta sine dubio reddunt personam minus dignam dispensatione, etiam in singulis: unde etiam simul proposita magis averunt animum principis ad concedendum tale matrimonium, vel habilitandam talem personam, ut experientia ipsa docet, et per se videtur prudentiæ consentaneum. Unde in remissione pœnarum, cum in aliqua persona plura sunt atrociora delicta, singula difficilius remittuntur in humano iudicio. Confirmatur, quia alias aperitur via fraudibus, obtinendo per plures dispensationes quod sæpissime Pontifex, re tota intellecta, per unam non concederet.

3. *Probabilitas prioris sententiæ, et securitas.*—Inter has sententias hæc posterior securior est, et in materia saltem matrimonii est practice probabilior et servanda; tum propter consensum plurium auctorum, tam ex antiquis quam ex modernis; tum propter praxim romanam, quæ hoc observat, exceptis quibusdam casibus occultis, ut Sancius notat, quæ exceptio potius firmat regulam in contrarium; tum præterea propter periculum quod est in efficiendo matrimonio nullo, ratione dispensationis male impetratæ. Denique quia talis dispensatio directe videtur peti et concedi ad contrahendum matrimonium, et ideo intentio dispensantis non videtur esse tantum tollere unum vel aliud impedimentum, sed simpliciter habilitare personam. Quapropter, si narratio ad hoc non sufficiat, tota dispensatio censetur irrita ex mente concedentis; essetque hoc longe certius si Pontifex directe interrogaret an talis persona haberet aliud impedimentum: nam per hoc magis ostenderet animum non aliter dispensandi; et ideo qui habens plura impedimenta illa negaret, nihil obtineret propter gravem deceptionem contra intentionem Pontificis, satis insinuatam per dictam interrogationem. Usus autem non habet ut talis interrogatio fiat, et ideo res est minus certa. Nihilominus tamen ipsemet usus non faciendi similem interrogationem indicat